

Omelia XXXIV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.122vb-125rb)

Cum autem persecuti fuerint uos in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen enim dico uobis, nequaquam explebitis ciuitates israel, donec uenerit filius hominis.

Commented [ND1]: [fol.122vb]

Dicens terribilia illa et tremenda, et ad amantem sufficientia dissoluere, quae post crucem et resurrectionem et assumptionem eis erant uentura, ducit rursus sermonem ad mansuetiora, dans respirare athletic, et multum eis tribuens otium. Neque enim iussit persecutionem patientes, audacter ire, sed fugere. Quia enim principium interim erat, et proemia, condescensibilis utitur sermone. Neque enim de posterioribus ait persecutionibus, sed ante crucem, et passionem, et hoc manifestauit dicens. Nequaquam enim explebitis ciuitates israel, donec uenerit filius hominis. Vt enim ne dicant, quid igitur si persecutionem passi, fugerimus, et rursus illic assumentes abegerint, hunc destruens timorem ait, non preuenietis circumeuntes palestinam, et confestim uos assumam. Et considera qualiter et hic, non soluit mala, sed assistit periculis. Non enim dixit quoniam eripiam, et soluam persecutionem, sed dixit, nequaquam explebitis ciuitates israel, donec uenerit filius hominis. Etenim sufficiebat ad mitigationem eis, solum uidere ipsum. Tu autem michi intende, qualiter non ubique omnia concedit gratiae, sed aliquid et ab ipsis inferri iussit. Si enim timetis ait, fugite, et non timete, et non eos primos iussit fugere, sed cum abigerentur secedere, et neque multum spatium dat, sed quantum est circuire ciuitates israel. Deinde rursus ad aliam eos erigit partem philosophiae. Primum quidem sollicitudinem cibi eiciens. Secundo autem periculorum et timorem. Nunc autem maledictionis. Ab illa enim eripuit sollicitudine dicens, dignus est operarius mercede sua, et monstrans quoniam multa eos suscipient periculorum, dicens, ne solliciti sitis, qualiter uel quid loquimini, et quoniam qui perseuerauerit in finem hic saluabitur. Quia autem cum his decens erat eos diffamari, et permitiosam opinionem suscipere, quod multis honorosius esse uidetur, uide qualiter eos, et hic consolatur a seipso, et ab uniuersis his quae de ipso dicta sunt, consolationem ponens, cui equale nichil erat. Sicut enim dixit illic, quoniam eritis odio habiti ab omnibus et apposuit propter nomen meum, ita et hic et aliter id mitigat, aliud post illud ponens, quale utique est hoc? non est discipulus ait super doctorem, neque seruus super dominum suum. Sufficit discipulo ut fiat sicut doctor eius, et seruo sicut dominus eius. Si domus dominatorem beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Vides qualiter seipsum reuelat, omnium existentem dominatorem, et deum, et conditorem? Quid igitur non est discipulus super doctorem, neque seruus super dominum suum? donec fuerit discipulus et seruus. Non est secundum honoris naturam. Non enim michi ea quae raro contingunt, hic dic, sed ab amplioribus suscipe hunc sermonem, et non dixit quanto magis uos seruos, sed domesticos eius, multam ad eos familiaritatem ostendens, sed et alio dixit, non ultra uoco uos seruos. Vos enim amici mei estis. Et non dixit si domus dominatorem conuitiati sunt, et maledixerunt, sed et ipsam speciem conuitiati ponet, quoniam beelzebub uocauerunt. Deinde et aliam non minorem hac dat mitigationem. Maxima enim hec est quia uero his qui nondum philosophantur, et altera opus erat, potente maxime eos restaurare hanc ponit, et scema quidem eorum quae dicuntur, uniuersalem uidetur enuntiationem habere. Verum non de omnibus rebus sed de prepositis dictum est solum. Quid enim ait? Nichil est uelatum, quod non reuelabitur, neque occultum quod non cognoscetur. Quod autem dicit, hoc est. Sufficit

Commented [ND2]: ad eam add. super lin.

Commented [ND3]: de his quae add. super lin.

Commented [ND4]: me add. super lin.

Commented [ND5]: eos add. super lin.

Commented [ND6]: cibi add. super lin.

Commented [ND7]: [fol.123ra]

Commented [ND8]: uel familiam add. super lin.

Commented [ND9]: scilicet super add. super lin.

Commented [ND10]: uel familiam add. super lin.

Commented [ND11]: que de se add. super lin.

Commented [ND12]: mitigatione add. super lin.

Commented [ND13]: uel recreare add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.123rb]

quidem uobis in mitigationem, hoc id est et me communicare, eadem contumelia uobiscum, doctorem et dominatorem. Si autem adhuc doletis haec **audientes**, excogitate et illud, quoniam et ab hac parum postea eruemini suspitione. Cuius enim gratia doletis? quoniam ariolos uos uocant et seductores? Sed expectate parum, et saluatores uos, et benefactores orbis terrarum, uniuersi dicent. Etenim reuelat omnia tempus, quae obumbrata sunt, et illorum calumniam redarguet, et manifestam faciet uestram uirtutem, cum per res ipsas apparueritis saluatores et benefactores, et omnem uirtutem ostendentes. Non illorum intendunt sermonibus homines, sed rerum ueritati. Et hii quidem calumpniatores et mendaces et accusatores. Vos autem sole apparebitis clariores, longo tempore reuelante uos et diuulgante, et bucina clariorem uocem emittente, et testes **uniuersos** uestrae faciente uirtutis. Ne igitur quae dicuntur nunc, uos humilient, sed spes futurorum honorum erigat. Impossibile enim est occultari quae secundum uos sunt. Deinde quia ab omni eos eruit agonia, et timore, et sollicitudine, et altiores fecit obprobriis, tunc iam in tempore oportuno eis, et de libera propalatione quae est in predicatione loquitur. Ait enim quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure audistis, predicate in domibus. Quamuis non erant tenebrae cum haec dicebat, neque in aure eis loquebatur. Sed cum superhabundantia utebatur sermone. Quia enim solis eis loquebatur, et in paruo angulo palestinae. Propter hoc dixit in tenebris, et in aure, ad liberam propalationem postea futuram, quam eis erat daturus modum disputationis, distinguens ab illa. Non enim uni uel duabus uel tribus ciuitatibus, sed omni orbi terrarum predicabitis ait, terram **et** mare pertranseuntes, et habitatam et inhabitabilem, et tyrannis et plebibus et philosophis et rethoribus nudo capite, et cum omni libera propalatione omnia dicentes. Propter hoc dixit in domibus et in lumine, sine subtractione, et cum uniuersa libertate. Et propter quid non dixit predicate in domibus, et dicite in lumine solum, sed et adiecit, quod dico uobis in tenebris, et quod in aure audistis? extollens eorum prudentiam, sicut nimirum quando dicebat, qui credit in me opera quae ego facio, et ille faciet, et maiora his faciet, ita utique et hic monstrans quoniam omnia per eos operatur, et plusquam per seipsum, hoc posuit. Principium enim et proemia, ego dedi ait. Quod autem plus est, per uos explere uolo. Hoc autem non iniungentis est solum, sed et futurum predicentis, et confortantis ob ea quae dicuntur, et ostendentis, quoniam omnia superabunt, et quiescibiliter et agoniam de maledictione, rursus suffodientis. Sicut enim haec **predicatio** latens interim, omnia pertransibit, ita et pernitiosa iudeorum suspitio uelociter peribit. Deinde quia extulit eos, et excelsos fecit, predicat rursus et pericula, **reuelans** eorum mentem, et excelsioris omnibus faciens, quid enim ait, non timete ab interficientibus corpus, animam autem non potentibus interficere. Vides qualiter omnibus eos statuit superiores? non sollicitudinem solum et maledictionem, neque pericula, et insidias, sed et ipsam quae omnibus uidetur esse terribilior, mortem suadens contempnere, et neque simpliciter mortem, sed et uiolentam. Et non dixit quoniam interficiemini, sed et cum decenti eum magno decore, hoc significauit, non timete dicens, ab interficientibus corpus, animam autem non potentibus interficere. Timete autem magis eum qui et animam et corpus, potest perdere in gehennam. Quod **semper** facit, in contrarium conuertens sermonem. Quid enim formidatis ait? mortem. Et propter hoc pigritamini predicare? **Propter** hoc igitur ipsum predicate quia formidatis mortem. Hoc enim uos eripiet a uera morte, etsi enim uos erunt interfectori, sed id quod potius est, non superabunt, etsi decem milies, litigabunt. Propter hoc non dixit, animam autem non **interficiunt**, sed non potentibus interficere. Etsi enim uoluerunt, non superabunt. Quare si formidas penam, illam time quae multo est difficilior. Vides rursus non promittit eis ereptionem a morte, sed permittit mori, maiora largiens quam si non concessisset hoc pati. Suadere enim contempnere mortem, multo maius est quam eruere a morte. Non igitur in pericula immittit eos, sed superiores facit periculis, et in breui sermone, quae de immortalitate animae sunt dogmata,

Commented [ND15]: conuitie *add. super lin.*

Commented [ND16]: homines *add. super lin.*

Commented [ND17]: [fol.123va]

Commented [ND18]: uestra *add. super lin.*

Commented [ND19]: suscitans *add. super lin.*

Commented [ND20]: fecit *add. super lin.*

Commented [ND21]: [fol.123vb]

Commented [ND22]: interficientibus *add. super lin.*

ipsis infigit, et in duabus et tribus dictionibus dogma salutare plantans, et a cogitationibus eos aliis mitigat. Vt enim ne estiment interfecti et occisi, sicut derelicti, rursus sermonem de prouidentia dei inducit ita dicens. Nonne duo passeret assae ueneunt? et unum ex ipsis non cadet in laqueum sine patre uestro qui est in caelis. Vestri autem et pili capitis numerati sunt. Quid enim uilius est illis ait? sed tamen neque illi capientur ignorante deo. Non enim hic ait, quoniam operante eo cadunt, hoc enim indignum deo est, sed quoniam nichil eum latet, eorum quae fiunt. Si igitur ignorat nichil eorum quae contingunt, nos autem diligit patre familiaris, et ita diligit ut et pilos numerauerit, non oportet formidare. Hoc autem dixit non quoniam pilos deus numerat, sed ut diligentem cognitionem, et multam circa eos prouidentiam ostendat. Si igitur et nouit omnia quae fiunt, et potest saluare nos, et uult, quaecumque patiamini ne estimetis derelicti pati, neque eruere uos uult a malis, sed suadere contempnere mala, quia hoc maxime ereptio est a malis. Non igitur timete a multis passeribus differtis. Vides timorem eorum dominantem. Etenim nouerat ineffabilia mentis, propter hoc induxit. Non igitur timete eos. Etsi enim dominati fuerint, defectioris dominabuntur corporis dico, quod etsi non hii non interfecerint, natura assumens, abiit omnino, quare neque huius hii facti sunt domini, sed a natura id habent. Si autem hoc formidas, multo magis quod maius est formidare oportet, et timere eum qui potest, animam et corpus in gehennam perdere, et non dicit manifeste seipsum nunc esse eum, qui potest et animam et corpus perdere. Per ea autem quae antea annuntiauit, iudicem seipsum existentem manifestauit, sed nunc contrarium fit. Cum enim qui potest animam perdere, hoc est punire, non timemus. Eos autem qui corpus interficiunt, timemus, quamuis hic quidem cum anima et corpus punit. Illi autem non solum animam, sed neque corpus punire possunt, etsi et decem milies punierint, sed clarius ita id faciunt. Vides qualiter monstrat agones faciles? Etenim ualde mors eorum concusserat animam, terribiliter interim spirans, nondum existendo facile expugnabilis, neque qui eam contempturi erant spiritus gratiam acceperant. Eiciens igitur timorem et agoniam quae concutiebat eorum animam, et per ea quae deinceps sunt, confortat rursus, timore timorem eiciens, et non timorem solum, sed et premiorum spe maiorum, et cum multa minatur potestate, alterutrumque eos erigens, in liberam propalationem, quae est pro ueritate. Et inducit dicens. Omnis igitur quicumque confitebitur in me coram hominibus confitebor et ego in ipso, coram patre meo, qui est in caelis. Quicumque autem negauerit me coram hominibus, negabo eum et ego, coram patre meo, qui est in caelis. Non enim a bonis solum, sed et a contrariis impellit, et tristia terminat. Et intuere diligentiam, non dixit me, sed in me, monstrans quoniam non propria uirtute, sed superiori adiutus gratia confitetur qui confitetur. Quicumque autem negauerit me, coram hominibus, negabo et ego eum, coram patre meo, qui est in caelis. Denegante autem non dixit in me, sed me. Desolatus enim effectus a dono, ita negat. Cur igitur incusat ait, si derelictus negat? Quoniam derelinqui, ab ipso fit qui derelinquitur. Cur autem? non negat fide quae est secundum mentem, sed et confessionem quae est per os expetit. In liberam propalationem erigens nos, et amplio rem amorem, et affectionem, et excelsos operans. Ideoque ad uniuersos loquitur, et neque persona discipulorum utitur solum. Non eos sed et discipulos eorum construit uiriles. Qui enim hoc didicit, non docebit solum cum libera propalatione, sed et suadebit omnibus facile, et cum desiderio. Hoc nimirum multos apostolis adduxit id est credere uerbo huic. Etenim in pena amplius est supplicium, et in bonis, maior est retributio. Quia enim tempore superhabundat peccator, et tardatione supplicii estimat lucrari, emendans autem est qualiter, magis autem multo amplius, maiorem superhabundantiam induxit id est adiectionem retributionum. Superhabundasti ait, in prius me hic confitendo? Superhabundabo et ego ait, in maiora tibi dando et ineffabiliter maiora. Illic enim te confitebor. Vides illic et mala et bona seruata? Quid igitur studes et festinas? quid autem queris hic retributiones, spe saluatus? Propter

Commented [ND23]: esse add. super lin.

Commented [ND24]: uel magis proprie add. super lin.

Commented [ND25]: nouerat add. super lin.

Commented [ND26]: [fol.124ra]

Commented [ND27]: uel occulta add. super lin.

Commented [ND28]: quia add. super lin.

Commented [ND29]: extiterat add. super lin.

Commented [ND30]: uel finit add. super lin.

Commented [ND31]: [fol.124rb]

Commented [ND32]: uel derelictum esse add. super lin.

Commented [ND33]: enim add. super lin.

Commented [ND34]: peccatori add. super lin.

hoc nimirum, etsi feceris aliquod bonum, et non susceperis eius hic retributionem, ne turberis. Cum additamento enim in futuro tempore expectat horum retributio. Etsi feceris aliquod perniciosum, et non dederis uindictam, ne pigriteris. Illic enim te excipiet pena, si non transmuteris, et fias melior. Si autem non credis, ab his quae hic sunt, conice et de futuris. Si enim in tempore agonum, ita sunt clari qui confitentur, in tempore coronarum excogita quales erunt. Si inimici hic applaudunt, qui omnibus patribus magis diligit, qualiter non ammirabitur te, et diuulgabit? Tunc enim nostra sunt et bonorum dona, et malorum penae. Quare qui negant quidem, et hic et illic **nocumentum** habebunt. Hic quidem cum perniosa conscientia uiuentes, etsi non aliquando morerentur, moriuntur omnino, et illic ultimam sustinebunt uindictam, alteri autem et hic et illic lucrabuntur, et mortem hic negotiantes, et uiuentibus ita clariores effecti, et illic ineffabilibus fruente bonis. Non enim ad puniendum solum, sed et ad benefaciendum paratus est deus, et ad hoc magis quam ad illud, sed quare hoc quidem, semel ponit illud aut bis. Nouit enim magis **hoc** sobrios **effici**. Propter hoc dicens, timete eum, qui potest et animam et corpus in gehennam perdere, rursus dicit. Negabo et ego eum. Ita et paulus facit, continue gehennam memorans. Erigit itaque auditorem per omnia. Etenim caelos aperuit ei, et iudicium illud statuit terribile, et theatrum ostendit angelorum, et diuulgationem coronarum quae in his est, multam hinc facilitatem perficientem sermoni pietatis, ut enim non manifestis effectis impediatur predicatio, et ad ipsa agmina eos preparari iubet, ut discant quoniam qui in errore manent, et horum insidiarum dabunt uindictam.

Commented [ND35]: [fol.124va]

Commented [ND36]: uel isto *add. super lin.*

Commented [ND37]: effectos *add. super lin.*

Contempnamus igitur mortem, etsi non affuerit tempus quod hoc expetit. Etenim ad multo meliorem **transmigrabimus** uitam. Sed corrumpitur corpus? Et propter hoc maxime letari oportet, quoniam mors corrumpitur, et mortalitas perit, non substantia corporis. Neque enim si statuam uideris conflatam, perdicionem dices quod factum est sed meliorem constructionem. Hoc autem et in corpore reputa, et ne lugeas, tunc enim oportet lugere, si permaneret in pena. Sed oportebat ait sine corruptione corporum, hoc effici, et integra manere ea, et quid hoc, uel uiuentibus uel obeuntibus prodesset? Vsquequo diligentes corpora, usquequo terrae affixi, ad umbras inhiatis? quid enim hoc utique prodesset, magis autem quid non utique obesset? Si enim non corrumpentur corpora, primum quod omnibus maius est malis, **typhos**, apud multos utique maneret. Si enim et hoc **existente**, et uermibus emanantibus, multi dii esse litigauerunt, quid non utique fieret hoc corpore manente? Secundo, non utique crederetur, ex terra esse. Si enim fine testante dubitant adhuc quidem, quid non utique suspicarentur nisi hoc uiderent? Tercium, ualde utique diligerentur corpora, et plures magis carnales et crossiores utique efficerentur. Si autem et nunc quidam sepulcris et monumentis assistent, destructis illis, quid non utique facerent, si et imaginem haberent conseruatam? Quartum, non utique ualde cuperent futura. Quintum, qui mundum immortalem esse dicunt, magis utique certificarentur, et non utique dicerent deum esse conditorem. Sextum, non utique cognoscerent animae uirtutem, et quantum est presens, corpori anima. Septimum, multi ammittentium proprios, dimittentes ciuitates, monumenta essent habitaturi, et dementes efficerentur, mortuis suis continue loquentes. Si enim et nunc imagines fingentes homines, quia corpus detinere non habent, sed nolentibus illis fluit et deficit, affixi tabulis sunt, quod non utique tunc excogitarent inconueniens? michi uidetur, quod et templa utique talibus corporibus fabricarent multi, et suaderent demones loqui per eos, qui talia machinari sunt apti, cum et nunc qui **nekyomantias** audent, multa his inconuenientiora temptent. Quantae autem non utique ydolatriae effectae essent, qui post puluerem et cinerem haec facere adhuc litigant. Omnia igitur destruens deus inconuenientia, et erudiens nos desistere a terrenis uniuersis, destruit corpora **ante oculos nostros**. Etenim qui diligit corpora, et ad puellam pulcram

Commented [ND38]: Morale xxxiii. quoniam necessario corrumpuntur corpora nostra. Si enim non haec esset multa inconuenientia contingerent. *notum in marg.*

Commented [ND39]: transiemus *add. super lin.*

Commented [ND40]: id est tumor *add. super lin.*

Commented [ND41]: [fol.124vb] corruptibili *add. super lin.*

Commented [ND42]: id est in corporibus mortuorum diuinationes *add. super lin.*

Commented [ND43]: coram oculis nostris *add. super lin.*

repi, si non uult discere ratione in deformitatem substantiae, per ipsum uisum id sciet. Etenim multae illius quae amantur coetaneae, multotiens autem et clariores, morientes post unum et secundum diem, foetorem, et ichorem, et saniem uermium tribuerunt. Excogita igitur qualem diligis pulchritudinem, et ad qualem repis speciositatem. Si autem non corrumpentur corpora non utique hoc bene cognosceretur, sed sicut demones ad sepulcra currunt, ita et multi amantium in monumentis assidentes continue, demones utique susciperent in anima, et in difficili hac insania uelociter utique morerentur. Nunc autem cum aliis uniuersis, et hoc mitigat animam, non apparere imaginem, et in obliuionem immitti passionis. Si autem non hoc esset, neque monumenta essent, sed ciuitates uideres utique pro statu mortuos habentes, unoquoque suum uidere desiderante, et multa hinc efficeretur confusio, et nullus utique multorum, animae haberet diligentiam, non utique concederet rationi de immortalitate aduenire. Sed et alia multa his conuenientiora fierent, quae neque dicere est bonum. Propter hoc putrefit confestim, ut nudam uideas animae pulchritudinem. Si enim illud tanta pulchritudine, et tanta uita dignum facit, quantomagis ipsa melior utique erit? si id quod ita non decorum et indeforme est continet, quantomagis seipsam. Non enim corpus est, id quod est bonum, sed plasmatio et flos eius, quod ab anima in substantia coloratur. Ama itaque illam, quae et illud tale facit apparere, et quid dico mortem? Etenim in ipsa uita ostendo tibi qualiter omnia animae eius sint bona. Siue enim letetur, rosas sparsit ingenas, siue doluerit, pulchritudinem accipiens illam, nigra stola totum circumamicuiuit, etsi laetetur continue, effectum est corpus facile patiens, si pigritatum fuerit, araneae tela subtilius, et imbecillius fecit. Si irascatur rursus, fecit uitabile et turpe, si tranquillum oculum ostenderit, multam pulchritudinem largitur. Si emulans fuerit, multum pallorem et tabiditatem effundit. Si amauerit, multam decorationem largitur. Ita nempe multae non existentes pulchrae uisu gratiam multam ab anima acceperunt. Aliae autem fulgentes facie, quia sine gratia fuerunt, nocuerunt pulchritudini. Excogita qualiter rubra efficitur facies alba existens, et coloris uarietate multam operatur uoluptatem, cum uerecundari oporteat et rubere, sicut si inuerecundia fuerit, fera omni deformiorem uisum operatur. Nichil enim bona anima pulchrius, neque delectabilius. In corporibus enim cum dolore est cupiditas. In animabus autem pura et non procellosa est uoluptas. Quid igitur regem dimittens ad preconem repis? quid philosophum derelinquens imas ad interpretem? Vidisti bonum oculum, disce eum qui est intus, etsi non fuerit bonus ille, contempne et hunc. Neque enim si mulierem uideres indeformem faciem circumamictam bonam, patereris aliquid ob ipsam, sicut neque speciosam et bonam, sustineres occultari facie alia superimposita, sed auferens illam, nudam uelles decorationem uidere. Hoc et in anima fac, et ipsam addisce primam. In faciei enim loco, ei corpus circumimpositum est, ideoque manet tale, quale est. Illa autem etsi non decora fuerit, cito potest fieri pulchra, etsi oculum habuerit indeformem, et asperum et durum, potest fieri pulcher, mansuetus, tranquillus, placabilis, refrenabilis. Hanc igitur pulchritudinem queramus, hunc decorem uisum, ut et deus concupiscens pulchritudinem nostram, tradat nobis aeterna bona gratia, et filantropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium, in secula seculorum amen.

Commented [ND44]: aqositatem *add. super lin.*

Commented [ND45]: [fol.125ra]

Commented [ND46]: uel earum quas amant *add. super lin.*

Commented [ND47]: uel idiotarum *add. super lin.*

Commented [ND48]: uel sermoni *add. super lin.*

Commented [ND49]: [fol.125rb]